

Aus v. Grünburg. Aus-lin

Nr. 59.1.

AD

CELEBRANDA NATALIVM
IESV SOLEMNIA

SENATVS ACADEMICI

AVCTORITATE

INVITAT

D. GVILIELMVS FRIDERICVS HVFNAGEL
FACVLTATIS THEOLOGICAE H. T. DECANVS

Differitur super Psalmo XXII.

ERLANGAE

T Y P I S I V N G E A N I S

AD

CHERBANDA NATALIVM

HEA SCHINNA

SENATU ACADEMIA

SCIENTIAT

IZAVIT

D. GALLIUS M. T. L. S. H. H. H. H. H.

EVANIEIUS ET ALIIS

1772

EDWARD

TRINITY COLLEGE

et ob meum est etiam tuus misericordia, quoniam tu dimentis
meum et habes in me misericordiam, et non facias mihi illud
quod vobis est debet. 
Registration operis modulacionis aliorum instrumentorum, mut
et rite inno ab aliis testis, sibi solito parabolice
et recte efficiat. Et tempore locutionis sufficit, ut illius
efficiatur haec ratio, ut illius registrationis innotescat et
mutetur. His litteris pone, quoniam hoc se-temperat et anno
producere possit illius instrumentum receptione ardore, undique
tempore, et locutione, secundum consequentiam huius operis, co-
mitem suam ducere, et tempore, locutione, et registratione
operis, et instrumenti, et tempore, et locutione, et registratione
operis, et instrumenti.

Magnum quoddam est onus atque munus, suscipere atque profiteri, se esse eum, qui, reiectis multorum opinioribus, aliam aliam sequatur. Quod si vero res ipsae, circa quas occupatur multorum eorumque gravissimorum virorum acumen, eiusmodi sunt indolis atque naturae, ut magis ad ipsum Summi Numinis cultum, quam ad nos nostramque vitam videantur pertinere, multaque iam hominum et antiquitatis auctoritate habeant praecclaram speciem probationis; inficiari nemo possit, admodum augeri oneris munerisque gravitatem. Quae cum ita sint, et si laetar, constare inter Theologos, veritatem religionis christianaee non esse multitudine prophetiarum messianarum metiendam *); in ea tamen sum

A 2

fenten-

*) Conf. si placet, diss. nostram super Psalmis prophetias Messianas continentibus, P. I. p. III, ibique laudatum ERNESTI librum.

—

sententia, ut credam, psalmum vigesimum secundum de tabulis canticorum messianorum eximi a nemine posse sine gravi reprehensione. Quod, cui mirum videatur, adeat is variorum, etiam praestantissimorum interpretum super hoc argumento libros, ut suis ipse videat oculis, in omni alia rediffentire facilius inter se, quam si forte quaestio oritur de ipso carminis argumento et usu. Hanc enim ad unum fere omnes ita tractant et solvunt, ut, etiam si alii aliis utantur rationibus, quibus notiones messianas illi inesse contendunt; in eo tamen consentiant paene omnes, nullum esse, quotquot sint argumenti propheticci carmina, quod hoc praeclarius ultima Messiae fata certiusque canat.

E multis unicum exemplum afferam. Vberius in peculiari libro *) exponit LESS, Vir S. V., praecipua, quibus veritas religionis christiana nititur argumenta, atque, cum ad ea progreditur, quae ducuntur ex insignioribus V. T. oraculis, ingenue fatetur, psalmum hunc esse grave carmen ac plenum, quo restitutor felicitatis humanae, in crucem actus et iam moriens, Dei laudes celebraverit. Qua quidem viri celeberrimi sententia, moniti de nostra qualicunque psalmi vigesimi secundi expositione **), rem gratam lectori

*) Cui titulum fecit: Ueber die Religion, ihre Geschichte, Wahl und Bestätigung. Der zweite Band oder Beweis der Wahrheit der christlichen Religion. Göttingen 1785.

**) Quam dedimus praeterito anno, cum solemnia pentecostes essent indicenda.

lectoribus factum esse putamus, si, omnibus ac singulis rationibus Theologi Göttingensis, aequa lance ponderatis, ad ea praeципue mentem nostram dirigamus, quae faciunt et ad cognitionem nodosae quaestionis, et ad solutionem eius. In quo vero negotio versabimur ita, ut, si quando rem omnem ad sententiam deferre coacti simus, intelligent aequi harum rerum arbitri, nos omni carere invidia et ambitione, quippe qui, prolatis aliorum sententiis, eam tandem amplectamur, quae nulla re magis, quam sola veritate commendabilis nobis visa est. Iam itaque paullo curiosius inquiramus in hunc psalmum, atque potissimum in ea verba, quae, nisi fallax est interpretum bene multorum opinio, tam clare tamque aperte Messiae fata describunt, ut carmen hoc non a Iudeo olim factum, sed a Christiano factum videatur *).

Servabimus autem in exponendis iis rationibus, quae huic psalmo notiones messianas vindicant, ordinem quendam et modum, auctori operis iam iam laudati, valde probatum **), atque

Primum audiamus fletus gemitusque eius, qui de vexationibus et contumeliis, iisque dirissimis, a POPVLO IV-

A 3 DAICO

*) 1. c., Wer diese, so viel mir möglich war, getreue Uebersezung des „XXII. Ps. mit Aufmerksamkeit gelesen hat; der wird so viele, so pünktliche, und so auffallende Aehnlichkeit mit der Leidensgeschichte Iesu finden; dass man fast glauben möchte, ein Chrift habe den Psalm erdichtet, wenn er nicht schon Jahrhunderte vor dem Christenthum, in den Händen der geschworenen Feinde Iesu gewesen wäre.“

**) pag. 671.

DAICO sibi illatis queritur. *Ego vero, lamentatur ille, nullus sum. Verum me, non hominem sentio. Heu me contentum et abiectum! Me viso rident, oreque distorto capite nutant.*)*
 Est sane, qui haec et id generis alia legerit, nemo, quin intelligat et sentiat, quam iusti sint questus, lacrimae, et vota, in quibus effusum paene deploramus hominem, cum tot tantisque molestiis conflicitantem, et adeo tabescensem in calamitate. Neque possit Christianorum quisque ignorare, restitutorem salutis nostrae in aerumnas omnes incidisse, itaque fuisse adfectum, ut nemo unquam. At enim vero tantum abest, ut, quae potissimum in hoc carmine recententur aerumnarum, periculorum, et vexationum genera, si vitam Iesu excipias, nusquam similia reperiantur; ut potius, re altius investigata, nihil ibi dictum intelligatur, quod non aequa bene, ne dicam melius, in omnem alium, quam in ipsum Iesum, possit transferri. Taceo querelas, quae ab eius animo et ingenio tantum, quantum ab ipsa vitae fatrumque suorum historia aliena videntur. Dandum enim est aliquid inflammationi animorum, qua sine bonus poeta nemo potest existere, quamque solent alias adflatum**), et quasi furorem nominare. Huic vellem illa verba imputare:

Te

* Cf. quae super his verbis in peculiari commentatione differuimus pag. 6, seqq.

**) Φερομενοι, inquit PETRVS, υπο πνευματος αγια ελαλησαν οι αγιοι Θεοι ανθρωποι. Cf. quae ad h. l. adnotavimus in Theol. Bibl. P. I.

Te interdiu invoco, mi Deus, nec Tu exaudis,
noctuque, nec est remissio mihi —
Circumdat me agmen taurorum,
me cingunt Basanici boves,
fauces in me immani diducunt hiatu *).

quae, cum nec satis apta sint ad exprimenda piissimi in Deum
animi sensa, nec ad adumbrandum Iesu, e cruce pendentis,
mortem idoneam, melius ad ingenium poetae, quam ad usum
vulgarem, et ipsam notationem accipiuntur. Aliter se res
haberet, si, quem loquentem poeta inducebat, deploraret re-
rum suarum statum, non ex malevolentia hominum singulo-
rum, sed ex consensu concentuque TOTIVS POPVLI, mise-
rum. Ille enim ipse Iesus, a suis civibus **), quos esse sal-
vos voluit, omnino reiectus, odium paraverat sibi non plu-
rium, sed universae gentis. Age iam, percurramus vitam et
fata virorum omnium, fama apud Iudeos florentium, et
invenies in iis neminem, qui se, aequa ac Iesus, odio civium
suorum contumeliis lacepsitum possit palam declarare. E con-
trario fuerunt bene multi, qui se sentiebant adeo vexatos
a prava perversaque inimicorum hostiumque caterva, ut

P. I. pag. 20. et in diff. I. de psalmis prophet. mess. continent.
p. XX. seqq.

*) Vberius hos versus exposuimus in diff. super Ps. XXII, priori,
pag. 4. seqq.

**) Ioh. I, IO, II.

ipsum hoc carmen illorum potius, quam Iesu vitam canere videatur. Ad unum itaque Davidem, ut mittam alios, animum et oculos adipicamus. Superstite adhuc Saulo, multoque etiam magis post mortem eius, cum ipse regno praeesset, in quo quantisque periculis animum eius, erectum et fiducia in Deum plenum, mirantes affectum videmus. Exponit ille, non in uno carmine, eodem fere modo, quem tenet psalmus vigesimus secundus, iniurias ab inimicis sibi illatas; in summo se esse et praesentissimo mortis periculo queritur; ardentissimis precibus implorat Supremi Numinis auxilium, iam diu multumque frustra flagitatum; exhortatur semet ipse, grata parati olim auxilii memoria, finemque tandem querelarum facit, sive fretus certa, fore, ut, qui cuncta gubernat, deserat neminem, atque suis potissimum cultoribus adversus improbos inimicorum conatus, honores, rem familiarem, atque ipsam adeo vitam defendat. In qua quidem sententiarum serie, omnique simul argumenti tractatione, id maxime notatu dignum videtur, quod, in summo rerum discrimine, Davidem nihil adiuvet et erigat magis, quam pia et adtentissima favoris Dei in cultores suos cogitatio. Haec enim atque talia apud animum repetenti non poterat non ante oculos versari promissionum divinarum et fides et praestantia. His ininxus, etiamsi se hostibus undique cinctum videat, spem tamen alit certissimam, futurum esse, ut, superatis eorum agminibus, supplicationem Deo pro singulari eius merito possit decernere. Qua re etiam factum est, ut, quando David opem auxiliumque Numinis implorat, vota simul nuncupet eius-

elusmodi: miserere mei! TVAS enim laudes velim celebrare, Sioneque de TVO exultare auxilio *). Neque hoc admiror, quod ille semper suis pro salute vitaque precibus iungat commemorationem laudis, qua Deum adeo sibi propitium expertus, amorem eius et benevolentiam, fit celebratus. Erat nimurum cultus, quo religio Dei apud Iudeos continebatur, ea ratio atque conditio, ut, quidquid augebat eorum apud exterios gloriam atque honorem, id proprie et unice ad Deum ipsum pertineret **). Atque, cum a nemine respublica Iudeorum, ullo unquam tempore, felicius administrata, et quibuscumque rebus posset, vel belli, vel domini, magis aucta esset, quam a Davide, rege, si quis unquam divinitus constituto ***); quid est, quod nos offendat, si vitam suam non sibi solum, et populo, sed ipsi etiam Deo servatam esse, aperte palamque dicat? His monere volui lectores, ne haereant in verbis;

Omnes

* Cf. Ps. V, 12. VII, 18. IX, 14. 15. XIII, 6. XIV, 7. quibus addi possunt alia loca, bene multa.

**) Plura, quae hoc spectant, dedimus in *Theol. Bibl. P. I.* pag. 321. originem et usum vocabuli שָׁמֶן inquirentes.

***) Ex innumeris, quae possunt afferri, librorum V. T. locis, unum de-
promam, eumque classicum Ps. LXXVIII, 70, seqq.

—————

Omnis se miseri DEO submittant,
vitam enim meam servavit SIBI *);
atque

*) Ita veritimus נִפְשָׁו לְאַדִּיה Pf. XXII, 30. Cf. diff. nostram super hoc Psal. p. 15. Praeter auctores, ibi laudatos, qui testes adserunt lectioni: נִפְשָׁו לְאַדִּיה, adeant lectores DE ROSSI Var. lect. T. IV. cuius ad h. l. verba haec sunt: „נִפְשָׁו Kenn. 373, for-
,, te 235; videtur primo meus 864, LXX, V, VI, VII editio graeca,
,, Syr. Ar. communis et Maroniticus, Vulg. sive HOUB. Not. Crit.
,, T. II. pag. 15. MICHAELIS Bibl. Or. T. XII. p. 130. XAV. MAT-
,, THAEI Salmi trad. T. VII. p. 44. — לְאַדִּיה Kenn. 328, primo
,, meus 645, LXX, Aquila, Syr. Vulg. Ar. communis et Mar. Symm.
,, et Theodot, vel non legerunt, vel legerunt לְאַדִּיה. Neque me meae
adhuc poenitet sententiae, fusius l. c. expositae, licet aliter sentiat
III. EICHHORN, qui masorethicae favet lectioni, simulque S. V. DA-
THII versionem, quam contra quaedam monuimus, admodum pro-
bat. „Optime enim, inquit, verba: qui se ipse servare non potest
,, τῷ morituro respondent.“ Vid. Allgem. Biblioth. der bibl. Lit-
teratur. T. I. p. 506. Aliter, et mecum sentientem video IACOBVM
KANTELAAR in Specimine altero observationum philologicarum et cri-
ticarum ad quaedam V. T. loca, Lugd. Bat. 1781, qui pag. 31-41.
adequate tractat h. l. eumque verit: „edent et adorabunt (i. e. gra-
,, tissimo animi sensu his tantis bonis fruentur) omnes humiles terrae;
„prosternent se coram ipso tenties quique et abiecti.“ דְשֵׁנִי אֲרֹן
ex usu vocabuli שְׁמָן arabico, mihi quidem a SCHVLTENSIO non
admodum probato. Nec est, cur a communi tritoque eius usu rece-
damus. Voluit enim auctor, iungens יְהִי עָפָר cum דְשֵׁנִי אֲרֹן
non obscure notam universitatis exprimere. Cf. Ies V, 14. Prov.
XI, 3. coll. Ier. XXXII, 19. Matth. V, 45.) Deinde multa lectu-
digna

atque rati, haec de Davide nullo modo posse pronunciari,
meis me contra armis pugnare putent. Adde, quod car-

~~obam per omniaq; omniaq;~~ B. 2, evit ~~confundit~~ mina
 digna adfert ad impugnandam sententiam eorum, qui יְהִי עָפֵל
 designare credant homines pulvere terrae iam obrutos, i. e. mortuos s. se-
 pultos, ultimaque verba נַפְשׁוֹ לֹא חַיּוּ cum exponeret: egeni,
 quorum minime vegeta esset aut florens conditio, „forte, inquit,
 „praestabat cum DVRELLO, MICHAEL, STRINSTRÆ, aliis, versio-
 „nem graecam et syr. secutis, hoc membrum ad sequentia referre,
 „et legere לֹא נַפְשׁוֹ anima mea ipsi vivet; proles mea ei serviet etc.
 „Certe ea lectio valde commendatur a facilitate et convenientia cum
 „universa serie orationis.“ Eodem fere modo eandem profiteatur,
 quam nuper professi sumus super Ps. XXII, 10. (cf. diss. nost. p. 7.)
 sententiam, aliis licet ductus sit rationibus et a nostris omnino alienis.
 Suadet nimis coniecturam lectionis גָּזָן pro גָּזָן, coll. Ps.
 LXXI, 6. (utrumque locum DE ROSSI male reliquit intactum, KEN-
 NICOTTO praeter plenam et defectivam lectionem ad eum nihil adno-
 tante). Qua cum, si conseras Cel. KOEHLERI coniecturam גָּזָן
 pro גָּזָן ex loco parallelo Ps. XXII, 10. in Repertor. P. XIII.
 p. 139, erit difficile dictu, in cuius transfas sententiam? Sa-
 ne, si quid iudico, duplex lectio גָּזָן et גָּזָן integratatis suae do-
 cumenta habet. Nam codices non solum, quantum hucusque con-
 stat, omnes, utramque constanter servant; verum etiam inter anti-
 quos interpres, praeter Syrum, unum forte locum ex altero emen-
 dantem, alium vix invenies, a lectione textus masorethici aberrantem.
 Quae, quoniam se recte habet, omnis res reddit ad veram vocabuli
 גָּזָן originem, quam a verbo גָּזָן, arab. גָּזָן (cf. MICHAEL
 suppl. P. II. p. 283.) erumpere, abrumpere bene derivant. At eru-
 ptionem ex utero h. e. infantis recens nati descriptionem hic quacreret, ut
 non

mina elegiaca, psalmorum inserta libro, fere omnia, praesertim vero Davidica, hanc quasi normam sequuntur, et, five res ipsas species, sive verba, a psalmo vigesimo secundo differunt parum *).

Quor-

non inepte monet auctor noster, parallelismus membrorum vetat. Ob
hanc ipsam causam nos etiam vertimus

praesidium ab utero

Samarit. נָהָר in subsidium advocantes. Iam vero moniti de usu
huius vocabuli Job. XXXVIII, 8. Mich. II, 10. eiusque parum certa
a נָהָר derivatione, mutavimus sententiam eo lubentius, quod non
turbatur membrorum parallelismus, vertendo:

Sane matris me liberasti utero,

Ad ubera eius fidebam Tibi!

Apte potius et concinne respondent haec sequentibus:

In Te sum, cum nascerer, proiecius,

A matris alvo Deum Te veneror meum!

Is omnino sensus etiam ineft loco parallelo Pf. LXXI, 6. quocum
conferri meretur solemnis Arabum formula: חסבְי אַלְלָה וּנְعָם sufficit mihi Deus, o praeclarum moderatorem! פִּזְבֵּחַ enim,
suadente olim SCHVLTENSIO ex Arab. פִּזְבֵּחַ pensavit, rerribuit, (ut
Chald. פִּזְבֵּחַ) est derivandum. Cf. KANTELAAR p. 29. 30; DATHE
ad h. l., et MICHAELIS l. c. Atque haec fere dicere habui de signifi-
catione vocabulorum פִּזְבֵּחַ et פִּזְבֵּחַ, quae, si lucis aliquid adferunt
ei carminis loco, quem in priori differt. super Pf. XXII, attigi fal-
tem; id debo humanitati SCHVLTENSII, viri Cel. mihique amicissimi,
qui copiam mihi fecit speciminis modo laudati.

*) Nisi redire cogeremur, unde digressi sumus, uberior exponeremus
omnia loca et singula carminum libri psalmorum, in quibus illa mire
cum

Quorsum igitur haec disputatio? quorsum? ut intelligentes lectores, hic non audiri eiulatus et gemitus Messiae, deplorantis iniurias gravissimas, ab universo POPVLO IVDAIICO, non a singulis tantum civibus, sibi iniunctas; sed eius, qui multorum hostium, ferorum nimis et immanium, impetus reprimere studeat ac retardare. Sed nolo progrederi longius.

Ad secundum iam pervenimus argumentum, exinde petitum, quod inimici eius, qui in hoc psalmo suis se precibus ad Deum vertit, iisdem omnino verbis utantur, quibus Christum olim,

B 3 cruci

cum hoc nostro consentiunt. Quod ut faciant lectores, et ad ea attendant, inter legendum, quae hanc nostram stabilunt et augent sententiam, vehementer oro. Sunt autem, in quibus vires periclitari suas suumque ingenium exercere possint haec fere carmina: *Pf.* III. IV. V. VI. VII. IX. XI. XII. XIII. XIV. XVII. XVIII. XXIII. XXV. XXVII. XXXVIII. XXX. XXXI. XXXIV. XXXV. XXXVIII. XL—XLIII. LIV—LVII. LIX. LXI. LXII. LXIV—LXIX. LXX. LXXI. LXXV. LXXVII. (v. 8—21. coll. *Pf.* LXXXVIII. CXXXV. CXXXVI.) LXXXVI. LXXXVIII. CXXIII. CXL. CXLII. CXLIII. Quae quidem variorum auctorum, unum argumentum varie tractantium. carmina, si quis conferat cum *Pf.* XXII. is statim intelliget, ob solos fletus gemitusque eius, qui de vexationibus et contumeliis, iisque dirissimis, a POPVLO IVDAIICO sibi illatis, queritur, inter messiana carmina hoc referri non posse. Quam mire concordat *Pf.* XXII. cum *Pf.* LXXI. hic, tranquillo animo, in summa senectute, ille, mente metu compta, in aetatis summo flore scriptus! Sed haec tantum delibari, non pertractari possunt in hoc loco et tempore.



cruci adfixum, MATTHAEO teste, vexabant cives sui, et vulnerabant. Evidem, si dicendum, quod res est, non video, quae vis insit huic argumento, quamque habeat eruendae veritatis ac confirmandae potestatem. Quid? Ipsissimis illis verbis illuserant Christo immanissimi foedissimique homines, (quis enim alias ita inter cruciatus exciperet quemquam, misericordia digniorem, quam contumelia?) anne credimus, aliud inde posse probari, quam id, quod nemo negaverit, ad illa psalmi verba adlussisse hos homines, eaque aptasse nequissimis suis et temerariis, Iesum deridendi et contemnendi, consiliis? Iam non urgeo, quod a vero non alienum videtur, istos ex infima plebe irrisores, suo sane contentos fuisse verborum iniuriosorum et contumeliosorum quasi thesauro, nec *potuisse*, si *voluissent*, illa pronunciare aurei carminis verba. Neque is ego sum, qui credit, inesse verbis MATTH. XXVII, 46. 49. *) irrisorum ignorantiae documentum. Est enim eiusmodi hominum mos atque consuetudo, ut verbis ludant, impenseque laetentur, ex ipso verborum sono, male intellecto, vel studiose aliter accepto, trahere garriendi calumniandique materiam.

Verum tamen, quoniam res ipsa docet, omnino fieri non posse, ut ex infimorum e plebe hominum dictis, adferatur aliquid lucis obscurae, de carminibus messianis, quaestioni; nolo

*) Ανέβοντες οἱ Ἰησοῦς φωνῇ μεγαλῳ, λεγων. Ήλι, Ήλι λαμπ ταῖς θαυμαῖς. Οἱ δὲ λαϊτοι ελεγον. Αφες, ιδωμεν ει ερχεται Ηλιας σωσων αυτον.

nolo his immorari diutius. Accedit, quod constat inter peritos harum rerum et intelligentes arbitros, errare, qui, cum IESVS prima huius carminis verba ore pronunciaasset suo*), credant, illud inter messiana simul carmina ab eo esse relatum. Quod si igitur (quis enim vetat ita ratiocinari?) gravi hac voce: *Mi Deus! mi Deus! Cur derelinquis me!* neque potuit, neque etiam voluit efficere, ut carmen, quod sic exorditur, statim in messianis ponatur; nihil est quod dubitationem adferat, quin aberrent a iusta ratione interpretationis, qui psalmum vigesimum secundum, ob istos nequissimorum hominum sermones, quos ex eo forsan hauserant, Messiam canere sibi persuadent. Sed quid ego argumentor? Quid plura dispergo? Graecum N. T. textum inspiciamus, et in eo nihil inveniri, quod soli huic carmini peculiare sit et proprium, certo mirabimur. Iam omnem, ut facilius hac de re possit iudicari, locum describamus: „Cruci adfiguntr cum „Iefu duo latrones, alter ad dextram, alter ad sinistram. „Obambulantes ei illudebant, et capite mutantes dicebant: „Tu vero templum destruis et triduo instauras! Iam nunc „serva teipsum! Si Dei filius es, descende de cruce! Nec „aliter pontifices, cum legis interpretibus, et senatoribus **). „Alios, illudentes ei obmovebant, servavit, semet ipse non „potest servare! Si rex est Israelitarum, relinquat crucem,

ut

*) Etsi novem argumentis in illo, quem saepius iam laudavimus libro, non sine studio et arte, pro vi et dignitate Ps. XXII, messiana pugnatum sit; tamen ibi commune illud, quod dicere solent e primis eiusdem verbis, alto silentio est praetermissum. Id quod parum ei inesse roboris, satis iam et luculenter probat.

**) Quos inter plebem versari eiusdemque imitari mores aequo miror, ac doleo. Verum, si periti in arte psalmum vigesimum secundum detorquebant ad irrisiones et contumelias, quid illis temporibus de arguimento eius messiano doctores Iudaeorum iudicaverint, intellectu difficile non est.

„ut ei fidem praestemus et obedientiam. DEO FIDIT, LIBERET EVM, CVI FAVET. SOLEBAT ENIM DICERE: EGO SVM DEI FILIVS. Atque idem ei latrones, e cruce pendentes, exprobrabant *).“ Nihil est, praeter singula verba, quod in hac omni narratione de psalmo vigesimo secundo monere possit lectores. Non enim vereor, ne sint, qui me caecutire contendant, cum ego, nutantes capite homines, in utroque loco ante oculos lectoribus obversantes, videar non videre. Video sane, immo video; verum a me non possum impetrare, ut, qui tritus iam, et inter eiusmodi potissimum homines receptus, capite nutando aliis illudendi, mos est, eum ipsum agnoscendae imaginis Messiae, risui publico expositi, habeam documentum. At obloquetur mihi forsan aliquis: Dabo tibi hoc; cum tamen tecum senties, verba: πεποιθεν επι τον Θεον, γνωσθων νυν αυτον, ει θεοι αυτον, si quae alia, suam huic fonti debere originem! Quae cum ulteriori egeant disputatione, pluraque supersint argumenta, tractanda uberioris, abrumpere filum, et, quae restant, proximae diffrendi opportunitati reservare cogimur.

Quod reliquum est, agite iam, ORNATISSIMI COMMILITONES, ornate et celebrate nati IESV solemnia, non illa solum in templis frequentia, sed augstiori etiam, quo vos beatissimos praedicamus, animi cultu. Hoc qui prosequuntur IESVM CHRISTVM, auctorem salutis nostrae vere divinum, ii corruptelarum illecebris, quibus alias delinitos deploramus, non irretiti, solemnum nati IESV memoriam novis semper celebrabunt virtutibus.

*) Matth. XXVII, 38 — 44.

(L. S.)

Fer. nato Iesu sacr. d. I. MDCCLXXXIX.

*) I.e.g. p. 5. l. 1. facturi, p. 6. not. *) peculiari. et p. 7. l. 7. adumbrandam.

Fd 3984

ULB Halle
002 164 590


3



TA - DL

V317

WU



B.I.G.

Farbkarte #13

Centimetres	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19
Inches	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

AD

DA NATALIVM

SOLEMNIA

ACADEMICI

TORITATE

VITAT

RIDERICVS HVFNAGEL

OLOGICAE H. T. DECANVS

uper Psalmo XXII.

ANGAE

V N G E A N I S